



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XCV. Vtrum Confessarius debeat imponere, & exhibere pœnitens
satisfactionem congruentem peccatis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

externa, occisio innocentis, & similes actiones illicitæ pro omni euentu, ex omnium consensu, absque exceptione casuum similium casibus obiectionis. Quidni autem tantumdem tribuatur sigillo confessionis vsque adeo necessario pro facilitate salutis animarum, & pro tranquillitate, & consolatione, interna pœnitentium, quantum tribuitur veracitati necessariæ pro commercio humano naturali? & sic de similibus.

Artic. 2. Considerandum rursus est in particulari, notitiam, quæ habetur ex confessione sacramentali, esse indebitam absolutè humano generi, nec ducere originem ex indigentia mutue communicationis secretorum cordis, quæ impellit homines naturaliter ad reuelandum aliis sua quæque secreta, sed oriri solum ex indigentia remissionis peccatorum, coniuncta cum benignitate Dei, volentis illa remittere mediante confessione ideoque inducentis, in hunc præcisè finem, reuelationem istam peculiarem secretorum cordis, supra omnem exigentiam, & ultra omne ius hominum, etiam vagum, ad talem notitiam circa aliorum peccata. Unde, negata omni vniuersaliter facultate vtendi tali notitia extra confessionem, nihil propterea negatur exigentiæ naturali, & mutuis hominum iuribus, aliquatenus debitum; nec de ea negatione ex suppositione institutionis huius Sacramenti, quisquam vnquam conqueri magis potest, quam posset conqueri si Sacramentum ipsum institutum non fuisset, atque ita fuisset interclusus omnis aditus ad huiusmodi notitiam habendam; & à fortiori ad omnem eius usum, pro quouis euentu.

Artic. 3. Considerandum tertio est, si pœnitenti innotescat confessarium absque eius consensu velle vt extra confessionem notitia habita in confessione, de tali determinatè peccato, & in talibus determinatè circumstantiis, aut deesse periculum proximum huius rei; eo ipso liberari ab obligatione explicandi tali confessario tale peccatum, in talibus circumstantiis, vt aduertit inter alios Dicastillo, nec negant auctores exceptionum, quæ à nobis reiiciuntur. Quia videlicet pœnitens non obligatur à Deo, ad manifestationem sacramentalem suorum peccatorum, nisi in ordine ad effectum ipsius Sacramenti. Quapropter qui docent exceptiones legis vniuersalis à nobis traditæ, magis inducunt licentiam, non confitendi, quam licentiam vtiliter vtendi notitia confessionis extra confessionem.

Artic. 4. Considerandum denique est, casus, pro quibus communiter ponderatur, vt difficilis, & dura praxis doctrinæ traditæ, & rarissimè contingere, & esse casus potius metaphysicos, vt aduertit inter alios Patres Suarez, & pro quibus pœnitens tenetur consentire reuelationi secreti, seu vsui extra sacramentali notitiæ sacramentalis, nec potest absque insigni nequitia, nouoque peccato velle redigere confessarium in angustias, quales meditantur prædicti auctores. Commune autem est aliis, quoque multis legibus vniuersalibus, vt pro aliquo rarissimo, & metaphysico, & quasi, obligent ad opera difficillima, præsertim dependentem à nequitia alterius, vt circa exempla primæ considerationis, & alia similia facillè cuius apparebit. His itaque omnibus bene perpenſis euaneſcit durities, quæ opponitur in obiectione aduersus doctrinam traditam, nec non ratio, qua nritur eadem, obiectione.

Ad 4. Quod aliæ obligationes confessarii sint capaces exceptionis multiplici de causâ, confert ad finem Sacramenti, & ad vtilitatem animarum. Oppopitur verò vtrique, vt ostensum est, capacitas exceptionis, & interpretationis arbitrariæ, seu epi-

keia quoad obligationem, tum habendi veram intentionem absoluendi, tum seruandi secretum, nec vtendi extra Sacramentum, notitia sacramentali,

QVÆSTIO XCV.

Virum confessarius debeat imponere, & exhibere pœnitens satisfactionem congruentem peccatis?

Videtur neuter debere. 1. Quia Satisfactio non erat debita, nec necessario exhibenda iure naturali ante institutionem Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo nec post eius institutionem est debita, aut necessaria. Patet consequentia, quia hoc Sacramentum inductum est ad leuamen, & non ad grauamen peccatorum. Antecedens autem suadetur efficaciter, tum quia nullum est vestigium legis vllius naturalis obligantis ad satisfaciendum pro peccatis, tum quia sufficit peccatori, si se humiliter submittat satisfationi, qua est dignus, pro arbitrio offensi, ac proinde non tenetur ad quærendum modum vitandi incommodum maius satisfationis, placando offensum per opus facilius satisfationis, tum denique quia nemo tenetur ex natura rei ad impediendum, aut minuendum malum suum cuius inflictione, & perpeſsione dignus est, vt certè dignus est peccator, qui satisfatiatur.

2. Opus satisfactorium est eiusdem naturæ, & virtutis, siue exhibeatur spontè ab vnoquoque, siue præcipiatur à sacerdote, atque homo homini ritè satisfacit independentem ab omni alterius iudicio, & præcepto taxante modum satisfationis. Ergo necesse nequaquam est, vt Sacerdos imponat pœnitenti satisfationem, sed ipse potest æquè bene, ac fructuosè eam exhibere pro suo arbitrio, & voluntate.

3. Oportet pœnitentem satisfecisse pro peccatis, antequam impendatur ei absolutio à Sacerdote, vt colligitur ex S. Leone epist. 91. vbi tradit Præpositis Ecclesiæ tributam esse potestatem, vt *constitentes salubri satisfatione purgatos, ad communionem Sacramentorum, per ianuam reconciliationis admitterent*. Idem sensus apparet apud Innoc. 1. in epistola 1. decretali capite 7. Potestas autem sacerdotalis exercetur solum in actu ipso, & opere absoluendi, & non in tempore priori. Ergo satisfationis impositio non pertinet ad Sacerdotem, sed solum iudicium de eam exhibita sufficienter à pœnitente per propriam electionem.

4. Sacramenta nouæ legis, causant gratiam, vt dictum est supra in communi. Vnde quod non habet vim collatiuam gratiæ, non, potest pertinere ad constitutionem vllius Sacramenti nouæ legis. Satisfactio autem non est causatiua gratiæ. Quia solum est instituta pro remissione pœnæ. Et propterea pœnitens satisfacit toti suæ, quoad hanc partem, obligationi; tametsi exhibeat satisfationem in statu peccati, in quo tamen est certum, nullum opus esse causatiuum gratiæ, aut inductiuum augmenti gratiæ iam præhabitiæ.

5. Fructus pœnitentiæ non potest esse pars eiusdem pœnitentiæ. Quia fructus rei præsupponit totam rem, cuius est fructus. Satisfactio, autem est fructus pœnitentiæ, vt apparet ex Luca 3. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Ergo satisfactio non pertinet ad Sacramentum Pœnitentiæ tanquam pars eius.

Art. 1. Respondetur dictum est supra quæst. 85. ex Concilio Florentino, & Tridentino, satisfactionem pœnitentis

pœnitentis esse partem intrinsecè constitutam huius Sacramenti, licet non sit pars essentialis, sed integralis tantum: Ex hoc autem efficaciter colligitur teneri per se, tum sacerdotem ad imponendam congruentem peccatis, & pœnitenti satisfactionem, tum pœnitentem ipsum ad eam, & acceptandam, & præstandam re ipsa. Quia uterque tenetur per se ad præstandam adæquatè integritatem substantialem Sacramenti. Hæc enim est vniuersalis, & communis obligatio respectu omnium Sacramentorum, quoad ea omnia, quæ spectant ad vnumquemque. Ne nimirum opus Dei euadat imperfectum, ac defectuosum absque suo complemento.

Artic. 2. Præterea sacerdotes absoluunt à peccatis, tanquam Iudices à Deo eatenus constituti. Iudex autem tenetur per se ad imponendam reo pœnam satisfactoriam. Quia est vindex criminum ex officio. Vnde Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. *Debet ergo, definit, Sacerdotes Domini quantum spiritus, & prudentia suggererit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutaris, & convenientes satisfactiones iniungere, ne si forte peccatis conuineant, & indulgentius cum pœnitentibus agant lenissima quadam opera grauissimis peccatis iniungendo alienorum peccatorum participes efficiantur.* Quod si sacerdotes tenentur ad iniungendam satisfactionem; tenentur utique pœnitentes ad eam acceptandam, & exhibendam. Quia Iudici legitime iniungenti aliquid, ut omnino iniungit id ad quod iniungendum tenetur ex officio, nequit subditus absque peccato negare obedientiam, & plenam executionem.

Artic. 3. Hæc pœnitentium obligatio colligitur iterum efficacissime ex eodem Concilio ibidem. Quia cum præmisisset satisfactionem debere imponi, non solum medicinalem in futurum, sed etiam vindictiuam, & castigatiuam præteritorum peccatorum; subdit immediate istam causalem: *Nam clauis sacerdotum non ad soluendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas esse antiqui Patres & credunt, & docent.* Eadem igitur iudicialia clauium potestate, eademque iurisdictione, qua absoluunt & liberant à peccatis, ligant etiam, & obligant sacerdotes ad opera satisfactoria, quæ imponunt. Quapropter istam pœnitentium obligationem ad acceptandam pœnitentiam rationabiliter impositam à sacerdote, & ad eandem postea exhibendam, nonnulli existimant certam ex fide, ut Vasquez; alij vt Suarez, oppositam sententiam dicunt, ut minimum temerariam, ac improbabilem, alique aliis censuris merito eam vexant, maxime post prædictam Tridentini declarationem fundatam in textu Euangelij de potestate remittendi, simulque retinendi, & soluendi, simulque ligandi.

Artic. 4. Itaque audiendi nequaquam sunt Scotus, Gabriel, Nauarrus, & pauci alij dicentes absolute, aut putantes probabile, integrum esse pœnitenti acceptare pro libito, vel non acceptare, ac deinde explere, vel non explere pœnitentiam sibi impositam, eiusque arbitrio relinquere liberam electionem, vel satisfaciendi in vita præsentem, vel satisfaciendi in futura. Nempe non teneri sub peccato, ut utatur priuilegio sibi oblato, seu concessio liberandi se per exiguam pœnalitatem præsentem, à magnitudine tormenti futuri. Sed perperam appellatur purum priuilegium, quod, ut apparet ex dictis, est rigorosum præceptum, & vera sententia legitima iudicis, constituti à Deo, & agniti, atque acceptati ut talis, hic, & nunc ab ipso pœnitente, dum se constituit reum coram illo, eiusque postulat sententiam supra delicta sua; eaque de causa non iam amplius liber, ut per eandem sententiam, & liberetur à

peccatis, & obligetur ad satisfactionem, vel non. Quod profecto non aliud est reipsa quam pœnitentem non esse amplius liberum, ut pro arbitrio suo obtineat, vel non obtineat vnum purum fauorem liberationis à peccatis coniunctum cum fauore alio aliquatenus grauante per satisfactionem lenissimam, comparatione satisfactionis grauissimæ, à qua liberat.

Art. 5. Dictum porro initio est teneri, per se, confessarium ad imponendam, & pœnitentem ad acceptandam, exhibendamque satisfactionem. Quia fieri potest, ut uterque liberetur, per accedens ab ea obligatione. Primo ratione impotentiae physicae, aut etiam moralis solum, sed distinctæ à malitia actuali, vel habituali pœnitentis. Secundo ratione pœnitentiae, & satisfactionis iam ante sufficienter peractæ à pœnitente, quantum Confessario videtur. Tercio ratione indulgentiae, aut iubilæi. Postremo si pœnitenti videatur irrationabilis, aut nimis dura pœnitentia sibi imposita, potest quarere beneficium commutationis in aliam satisfactionem mitiorem respectu sui.

Art. 6. Verum commutationem istam, sua ipse pœnitens auctoritate, nec etiam in melius facere vnam potest. Sed neque alius Confessarius commutare potest, nisi præhabita noticia peccatorum, saltem plus minus, ob quæ imposita fuit pœnitentia, de cuius commutatione agitur. Non quidem potest commutare pœnitens sua auctoritate. Quia reus sistitur alij tanquam Iudici, ut vitetur periculum erroris in taxatione pœnæ, si ea committatur iudicio partis. Quod incommodum non vitatur, sed totum iterum redit, si commutatio, & quasi emendatio sententiae à Iudice prolata permittatur eidem reo, etiam cum euidentia de meliori putata ab ipso. Alia longè ratio est de commutatione voti. Quia in eliciendo voto nullus eiusmodi finis præfigitur, vel formaliter, vel æquiuvalenter, si quidem concipitur dependenter à iudicio, & per liberam voluntatem, atque electionem ipsius vouentis, ideoque potest votum saltem in melius commutari ab ipso vouente, licet non possit commutari pœnitentia ab ipso pœnitente. Nouus verò Confessarius indiget noticia præuia priorum peccatorum, ne iudicialiter pronunciet, vel formaliter, vel æquiuvalenter, incognita causa. Quæ ratio persuadet similiter, neque eundem Confessarium posse commutare pœnitentiam, quam imposuit, nisi meminerit; aut reddatur de nouo conscius præcedentis confessionis, saltem in confuso, & æquiuvalenter, & ut dicitur, plus, minus.

Art. 7. Quodlibet autem opus de se honestum, ac meritorium; siue internum, siue externum, siue præceptum alioquin ex alio fine, siue non præceptum, potest imponi in pœnitentiam. Quia quodlibet opus honestum, ac meritorium, quantum est de se, habet essentialiter sibi adiunctam difficultatem aliquam, atque pœnalitatem, ratione cuius possit esse satisfactorium, ut apparet ex dictis quæst. 31. de act. hum. præsertim ad 8. atque eodem opere potest satisfieri pluribus præceptis, nec inutiliter multiplicantur præcepta de eodem opere, saltem in ordine ad diuersos fines de quo alibi cum communi Theologorum consensu. Verum pœnitentia, quæ non est pure, aut præcipue vindictiua, seu compensatiua delicti commissi, sed medicinalis in futurum, debet insuper esse specialiter proportionata indigentiae pœnitenti. Quæ de causa eadem hæc medicinalis pœnitentia prætermitti minime potest ratione Indulgentiae, aut Iubilæi; atque, pro eius commutatione, requiritur in commutante, speciali, eodémque manifestiori titulo, noticia præcedentium peccatorum, & status pœnitentis de præsentem.

Art.

Art. 8. Qualiscunque verò fuerit pœnitentia debet adimpleri in statu gratiæ, vt sortiatur protinus effectum remissionis pœnæ Purgatorij. Quia opera facta in statu peccati sunt mortua, vt communiter, & verissimè dicitur, nec obsequia præstita ab inimico dum detinetur in inimicitia, possunt habere sufficientem efficaciam ad inducendam remissionem amicabilem pœnæ, quæ debetur propter peccata præcedentia. Cæterum, non obstante ea circumstantia, satisfiet præcepto confessarij; & subsistet complementum integrale Sacramenti. Atque recedente obice inducitur, ex opere operato remissio pœnæ Purgatorij, non minus, aut aliter, quam si ab initio præstitum fuisset opus satisfactorium in statu gratiæ.

Art. 9. Satisfiet quidem præcepto confessarij, & integritati Sacramenti. Quia iudex imponens pœnam respicit solam qualitatem operis eiusque proportionem cum delicto, & non qualitatem dignificationem operantis, cum operabitur, atque sub eadem ratione, sub qua imponitur, pertinet, ad integritatem Sacramenti. Operatur verò idem opus effectum remissionis pœnæ, recedente obice. Quia ostensum est supra in communi quæstione 30. Sacramentum valide, sed fide susceptum operari suum effectum, cum primum, recedit fictio, seu obex; idque locum similiter habet, in parte Sacramenti, valide superaddita, licet cum obice. In hunc igitur modum tenetur confessarius imponere, & pœnitens acceptare, atque exhibere satisfactionem congruentem peccatis.

Ad 1. Conceditur antecedens cum Suarez, & aliis quod bene ibi probatur, & confirmari potest ex dictis supra quæst. 87. pro negando præcepto confessionis ante articulum mortis ex natura rei præcisè. Eadem namque ratio est, vt negetur præceptum obligans ex natura rei, seu iure præcisè naturali ad quærendum remedium pro vitandis, aut minuendis pœnis temporariis Purgatorij, iam debitæ ratione præcedentium peccatorum. Sed neganda est consequentia, quia institutio Sacramenti pœnitentiæ coniuncta cum præcepto obligante ad impediendas, vel certè minuendas pœnas Purgatorij per satisfactionem exhibitam pro statu viæ est benefica absolute, atque subleuatua, minimèque aggravatua, quatenus liberat à grauissima molestia, & cruciatu incomparabiliter maiori, per leuissimam tribulationem præsentem, vt dictum est: Vnde quod obligemur ad huiusmodi permutationem, est gratiosa, & liberalis indulgentia propria noui testamenti.

Ad 2. Sicut attritio ex adiuncto Sacramento, acquirit vim deletuam peccatorum, & inductiuam gratiæ sanctificantis, quam ex se non habet, ita opus satisfactorium; quod quatenus impositum à sacerdote, pertinet ad constitutionem intrinsecam Sacramenti, ex eodem Sacramento euadit multo efficacius ad remissionem pœnæ Purgatorij. Quod autem oportuerit, vt satisfactio exhibeatur à pœnitente, non ex proprio ipsius, sed ex sacerdotis arbitrio optima ratione conclusum est supra art. 6.

Ad 3. Vtus publicæ pœnitentiæ fuit frequentior antiquis Ecclesiæ temporibus, quam iam sit, vnde apud antiquiores scriptores solemne fuit, vt nomine pœnitentiæ, & pœnitentiam absolute prolato solam intelligerent publicam pœnitentiam, eosque solos, qui illam publicè peragerent, vt obseruant, & euincunt, post alios, Patres Petauius, & Martinon. Huiusmodi autem pœnitentes non admittebantur ad absolutionem sacramentalem, antequam exhibuissent satisfactionem sufficientem pro tollendo scandalo, & inducenda ædificatione, cæterorum fide-

lium. De hac itaque pœnitentia loquuntur Innocentius, & Sanctus Leo, vt apparet ex contextu, atque iidem illi authores luculenter demonstrant. Verum hoc non tollit quo minus in actu ipso absolutionis imponeretur denuo secreta pœnitentia pro tollendis pœnis Purgatorij, si sacerdoti absoluenti videretur ea esse ad id necessaria, multo verò minus concludi potest ex illo antiquo ritu esse de ratione Sacramenti Pœnitentiæ, vt pramittatur, ante absolutionem satisfactio aliqua, seu publica, seu occulta. Qua de re videri multa possunt apud prædictos authores diligenter, & eruditè tractata aduersus modernos nouatores. Nobis enim, & omnibus verè catholicis abundè sufficit vniuersalem Ecclesiæ catholicæ consuetudinem, esse conformem doctrinæ à nobis traditæ circa modum confessionis, atque satisfactionis sacramentalis.

Ad 4. Causant quidem gratiam sacramentali non legis, sed causant tamen per partes ipsorum essentiales, & cum primum sunt completa quoad essentiam. In qua videlicet includitur tota significatio, atque adeo tota vis inductiua gratiæ iuxta dicta supra in communi præsertim quæstione 29. Vnde; cum satisfactio sit pars solùm integralis Sacramenti, non est seorsim inductiua gratiæ ex opere operato, sed ad solam ordinatur remissionem pœnæ, eamque inducit protinus, si exhibeatur in statu gratiæ sin minus, cum primum remotus fuerit obex. Præterea cum exhibetur in statu gratiæ, inducit ex opere operantis augmentum gratiæ, idque euadit maius ex dignificatione peculiari, quam impertitur gratia, seu augmentum gratiæ præexistens ex vi essentiæ sacramenti; atque hoc solum intendisse videtur D. Thomas, dum dicit quæst. 90. art. 2. ad 2. satisfactionem sacramentalem valere ad augmentum gratiæ. Verum hoc est commune aliis quoque omnibus operibus, cæteroque meritoriis, quæ exhibentur post Sacramentum valide, & fructuose susceptum.

Ad 5. Idem opus satisfactorium est fructus pœnitentiæ virtutis, & pars pœnitentiæ Sacramenti, vt dicit ibidem D. Thomas ad 3. qui meritò accipit in hunc sensum verba illa Evangelij de fructibus dignis pœnitentiæ, sed non tollitur per hoc, quominus eadem sacramentalis satisfactio, habeat aliquo modo rationem fructus, comparatione etiam ipsius Sacramenti Pœnitentiæ, considerati secundum essentiam suam, quatenus gratia præhabita ex vi essentiæ, iuuat ad opus satisfactorium postea exhibendum, atque auxilia gratiæ actualis ibidem præhabita cooperantur eidem operi peragendo, atque præoperantur in animo pœnitentis, vt illud operetur. Hoc nempe modo viuientia omnia materialia, cum primum existunt quoad essentiam suam incipiunt superaddere sibi actiuitate sua partes integrales substantiæ suæ; atque Sacramentum est principium vitæ spiritualis, ideoque potest vi essentiæ suæ, inducere similiter partem aliquam integram sui; ita vt idem opus sit simul, & fructus essentiæ sacramenti, & pars vltimo completiua eiusdem integraliter.

QVÆSTIO XCVI.

Virum merita mortificata per peccatum reuiuiscant per pœnitentiam, cum tota priori gratia?

Videntur non reuiuiscere merita, nec redire tota gratia, 1. Quia Ezech. 18. sicut dicitur v. 21. de peccatore, deinde pœnitentiam agente: Si autem impius egerit pœnitentiam, &c. omnium iniquitatum eius